

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria
inanitatum nostrativum speculum**

Andreä, Johann Valentin

Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618

64. Exvl

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

vertam. A. Elige tu optimum aliquod vitæ genus, quod consuetudo reddet jucundum.

64. E X V L.

A. **O**mnatissime vir, Cum Deus noster ita disposuerit, ut ego quidem in præfens egeam, tu commode ac cum dignitate viuas, non ægre feres abs te aliquod inopiæ subsidium mihi reverenter expetisci, quantum humanitas tibi persuaserit, & fortunarum ratio permiserit; Idque propter communem nostrum Christum, cujus nomen ad vitæ usque periculum, & possessionum jacturam annumeravi; propter patriam eandem, cui corpus hoc qualecunque fideliter exposui; propter literas utriusque familiares, quas apud te intercedere posse sperarim, denique propter humanæ sortis varias vices, quas vel felicissimus extimescit, sic te Deus salvum florentemque esse velit & pro benefactore in membra sua agnoscat, coronetque. B. Dolet equidem, mi vir, bonis male esse, & in solidam condolentiam me vocat quisquis injuriam patitur, quod si ob Christum quis etiam esuriat, is omnino pascendus mihi est, si nihil planè patria communis exigat, aut humanitas persuadeat. Interim non succensebis mihi, si modeste & candide illius tui exilij testes aliquos requiram, quorum consensu illa tua integritas magis eniteat: nec enim ignorare potes genus aliquod hominum in Deum & bonos passim injurium, quod otio & divagationi suæ, imo & nequitia sanctum Exilij nomen præfigit, & bonorum

rum

rum condolentiam deprædatur. A. Laudo equidem, præclare vir, illam tuam sollicitudinem, atq; en literas, quibus certior eris, mea quondam omnia in Deum esse insumpta. nec restare nisi hanc tenuem compagem, sed quæ non minus Evangelio devota est, si quis Princeps velit Ecclesiam, aut scholam concreditam. B. Fidei in his literis satis est, nec dubito quin & alijs, ubi eas protulisti, satis fecerint. A. Nunquam tibi persuaserim, egregie vir, quam pleriq; sint immites, quam difficiles, quam suspiciosi, quod tamen in impostores illos magis contulerim. B. Non vero sic diffidere decet, ut Christianam charitatem planè exuamus, præsertim cum Christo demus, cujus nomine petitur, non impostoribus. A. Sic sumus, ut de opulentis optima quæq; speremus, de pauperibus pessima cuncta metuamus. B. Quid Principes vero, & quibus est ærarium in hanc rem sacrum? A. Eleemosyna datur, nec est præterea aliud solatium. B. Et idem fit tubicinibus, histriionibus, symphoniacis, ac haud raro liberalius: Ego vero stipendium aliquod exulum erigi velim, ubi quos Christo fideles, & ad sanguinem usque strenuos fuisse certo constat, alerentur, dum vel vita adhuc vegetior ad ulterius Christi servitium conferretur, vel languidior commodius finiretur. A. Id maximi sumptus haberetur. B. Nescis fortasse quantum in canes absumamus, at jam apud me ingredere.